497

GREGORIO RUSSO, G.

JOSEPHI DE GREGORIO,

ET RUSSO SACERDOTIS ART. ET MEDICINÆ DOCTORIS PANHORMITANI

DE ORTU, DEQUE INCREMENTO Regalis Panhormitanæ Medicorum Academiæ

SYNOPSIS HISTORICA

Variis Annotationibus appositè aucta.

Historia quoquo modo scripta delectat; Dices, potes simul & rescribere actiones, & componere historiam. Utinam! sed utrumque tam magnum est, ut abundè sit alterum efficere.

C. Plin. Sec. Epist. 8. f. 154.







Uod latiùs nuperis annis ad nonnulla expiſcanda Regalis Academiæ noſtræ monumenta non parùm laboris impendimus; eaque omnia præſtare conati ſumus, quæ ſplendoris incrementum adferre poſſent, illamque pro virili, ceu Principem ſalutare, præſertim ſupra ceteras, Gallicam, paucioreſque alias ſi excipias, quotquot hactenus in Europæis regionibus, ſuperbo faſtu efferuntur: ſcilicet, ubi notulas aliquas interſerere nobis viſum fuit Orationi (*), quam publicæ

(*) *Oratio ad diem ſecularem inaugurandum ab Academia condita, habita in Regali Panhormitana Philiatrorum Academia Kalendis Februariis anno* 1749.

cæ luci protulimus pro seculari inaugurando die coràm Excellentissimo Panhormitano Senatu prolatam: compendiosiùs nunc eadem refricare oportebit, ut exteras nationes de iis certiores aliquando faciamus ad nostræ Academiæ antiquitatem, & amplitudinem apprimè conducentibus. Nec me latet, quàm difficilis omninò res sit, historiolam aliquam conscribere, monente Plutarcho (*a*): *Cum posterioribus præteritum tempus cognitionem rerum præripiat*, lucemque ullam è veteris memoriæ latebris elicere, ubi potissimum antiquiora subobscuram paululùm ambiguitatem scribentibus præbeant. Porro quamvis ex Diodoro Siculo (*b*): temporis descriptio haud facilis cognitu sit, & quandoque detrahat legentibus fidem; in hunc scopulum haud quidem illidere visa est Academiæ nostræ ætas; cum hujus temporis notitia haud secùs,

---

Panhormi edita. Morem sequuti sumus Melchioris Sebiziis, qui typis edidit. *Jubilæum Academiæ Argentoratensis, sive acta secularis gaudii ab anno* 1538. *usque ad annum* 1638., & Johannis Henrici Boecleri: *De Oratione seculari*, in qua ortus Scholæ Argentoratensis, & incrementa a Gymnasio ad Academiam. Tum denique Samuelis Gloneri *Carmen seculare ab ejusdem Academiæ fundatione*.

(*a*) *In Pericle.*

(*b*) *In Antiq. proœm. lib.* 5.

cùs, quàm ab exacto paullò ultra ſeculo repetenda foret, quo primùm altiùs adſurgere videretur, majoremque inde labentibus annis adſumere gravitatem, & decus. Neque is ſum, ut ſinceram hanc narrationem falſis quibuſdam coloribus oblinire me velle ſuſpicetur quiſvis (*). Tantum ex veteribus ſcriptis nonnulla excerpere vehemens mihi ſollicitudo inceſſit; quotquot enim eruere licuit è manuſcriptorum codicum penu in unum quaſi corpuſculum cooptanda ratus, iis non inani ſtudio quæſitis, quæ à Primoribus noſtris ſuis in ſcriniis privatim coacervata fortè fortuna detinebantur; reliqua ab exeſis ſcripturarum fragmentis, carptimque non pauca a ſenioribus noſtris Medicinæ parentibus hauſi; quos paullo major ſedulitas in colligendis veterum monumentis non adeò

(*) *Suus cuique*, ait Chriſtophorus Auguſtinus Heumannus, *Academiæ eſſe deberet Hiſtoricus, qui annales ſui temporis conficeret accuratiſſimè; fiet autem, ut faventibus omnibus adminiſtret is hoc munus, ſi hanc ſibi legem præſcripſerit, ut nec laude, nec cenſura ullum ſive ſcriptum, ſive factum proſequatur, ſed ſimplicis, ac perſpicui narratoris perſona ſit contentus. In Animadv. ad Præfat. Bibliot. Hiſtor. Academicæ*; Et affabrè Cicero *de Orator.* lib. 2. n. 15. *Primam eſſe hiſtoriæ legem ne quid falſi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat, ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, neque ſimultatis.*

adeò supinos effecerat. Sanè res tota æternis involuta tenebris, & addicta silentio jacuisset, nisi quæ fortuna inopinatò adferendæ labori meo lucis caussam aliquam, & frangendi silentii necessitatem pressius invexisset; operosus quippè labor est primos rerum ortus intricatis ambagibus obsignatos repetere velle. Id unum vos monitos vellem, connixum pro virili me, omnemque lapidem movisse, ut in hac adstruenda historiola non a limosis fontibus, sed puriores lustrando crateres aquas ebiberem; atque in hac potissimum parte diligentia mea constaret; ut si cui imposterùm cupido incesserit meliorem historiam ordine pertexendi, accurata veterum monumentorum cognitio, quam in hac Synopsi sedulò expeditam reperiet, maximo laboris, temporisque compendio esse queat.

Vigesimus primus jam supra sextumdecimum ab æra Christi seculum agebatur annus, quo Majores nostri, potissimum ii de medendi studio non parùm solliciti, accitis emunctæ naris hominibus in Clinicam illam Medicinæ particulam maximè inhiantes, primum coivere, atque in ædibus Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis (a), Medicorum cœtum cogere cœperunt, masculas in-

(a) Mongitorius *in Biblioth. Sicul. to. 2. fol. 65.*

ingeniorum vires gnaviter exercendo (*); ut si quis in praxi nodosus, extricatuque difficilis occurreret morbus, qua lingua, qua calamo, qua collatis vicissim sermonibus enodare, deque illo sententiam ferre adniterentur, ut Civium incolumitati prospicerent. Labentibus deinde annis meliorem in locum, magisque peropportunum, clinicum hocce Medicinæ exercitium transferre placuit Senioribus nostris, in privatam nimirùm quamdam domum, contrà prætorium sitam, & propè Gynæceum *Sanctæ Mariæ de Martorana*, illucque alternis colloquiis confluebant, disputantes de morbi alicujus natura, genio, sympthomatibus, singulis fermè Jovis diebus ab illo cœtu præfixis; Quis autem fuerit loci illius dominus, seu domûs conductor, mihi diù, sedulòque perquirenti reperire non licuit; ast si quis ulli detur conjecturæ locus, nutantis Academiæ, & , quod caput erat, ad-

(*) *Præter Scholas, & Academias permagnum momentum positum est in societatibus, sive ad literarum, sive ad aliarum artium fines proferendos comparatis, quas ipsas quoque Academias vocare solent; quum enim oculos plus oculo videre probabile sit, pluraque præclarè ingenia communicatis invicem meditationibus, operisque collatis, quid verum falsumque sit faciliùs, quàm singuli perspiciant, & quædam quasi tenebris obvoluta in lucem fælicius protrahant, utilissimæ Reipublicæ semper visæ sunt hujusmodi Societates.* Heinnec. fol. 162. §. 16.

adhuc impuberis, selectam domum ad Senatum pertinere, si credam, haud certè decipiar, eo vel maxime, si stemma spectetur Aquilæ, Panhormitani Senatus omninò gentilitium, quod illius domus fronti videbatur adfixum, addita epigraphe. *Altera fœlicitas*. Porrò nec omninò placuit delectæ domus hospitium; locus aliquis in votis erat pro Academicis exercitationibus magis elegans, ut in perpetuùm pedem figere posse, fortè fortuna daretur; favit aliquando eventus, & velut agmine facto prope seculi decimisexti dimidium animi lacertos intenderunt auctores nostri, ut fanum quoddam *S. Luciæ* sacrum, quod intra magni Nosocomii pomæria situm erat, sibimet ipsis Senatus elargiretur; precibus igitur ad ipsum habitis, sub cujus ditione tum valetudinarium, tum loci vicinia erat, optatis gratiosè respondit Senatûs consultum, & ab eo tempore, ut infra dicetur, superstructa mole stetit perpetuò mansurum Academiæ nostræ decus (*). Sequioribus igi-

(*) Academicorum more, quorum Auctor Plato, de quo Cicero *Academ. Quæst.* lib. 1. fol. 47. prope finem. *Siquidem Platonem ex illa vetere numeramus, cujus in libris nihil affirmatur, & in utramque partem multa disseruntur, de omnibus quæritur, nihil certi dicitur, ut cum in eadem re paria contrariis in partibus momenta rationum invenirentur, & faciliùs ab utraque parte assertio sustineretur*. Et alibi 5. de Finibus; *Illi autem, qui Platonis instituto in Academia, quod est alterum Gymnasium*

igitur annis, nimirùm anno 1649. (*a*), ſub fauſtiſſimis Excmi Senatus auſpiciis auguſtiora tulit exordia, eodemque fermè tempore, rem promovente Paulo Pizzuto Panhormitano Siciliæ Archiatro, atque juribus, ac privilegiis, tum annuo ex publico ære cenſu primitùs ditata fuit Academia (*) noſtra. Ve-

ſium erant ſecum, & ſermones habere ſoliti, & loci vocabulo nomen habuerunt.

(*a*) *Ex public. Magiſtr. tabulis die 24. Januar. anno* 1649.

(*) *Academiæ cognomentum ab illa prima publica Atheniensium Schola Platoni collocata nomen accepit; ea verò non alia erat, quàm Gymnaſium, ac nemoroſum Suburbium, a quodam heroe Academo cognominatum, primò autem per E Hecademia appellabatur.* Hermann. Conring. *de Antiquit. Academ. in Supplem.* 1. f. 193. *Delectus erat hic locus a Platone, ceu inſalubris, quia, cum corporis habitudine uteretur nimiùm proſpera, quæ veluti vitis luxurians foret reſecanda, inſalubrem Atticæ locum delegit.* Cælius Rhodig. *Lect. Antiqu.* T. 3. lib. 21. c. 10. f. 15. Fuſius de hoc argumento Thomas Stanlejus Platonis geſta, & vitam adtexens hæc ait in Tom. 1. Part. 4. cap. 5. fol. 302. *Pauper cum eſſet, ſolùm in Academia hortum poſſidebat, qui fuit minima pars bonorum, quæ ſectatores ejus tenuerunt. Ex horto enim trium circiter aureorum nummorum proventus quotannis redibat, poſtea verò redditus mille etiam nummos ſuperarunt aureos. Temporis verò ſucceſſu auctus eſt liberalitate hominum ſanctorum, & eruditionis amantium, qui diverſis temporibus morientes teſtamento hæredes ſcribebant Philo-*

Verùm si paullo altiùs illius vetustatem derivare velimus, illam remotiori ævo, anno scilicet 1621., Siciliam Vicario Regis munere moderante Comite

---

losophiæ operantes, ut relictarum facultatum ope vitam philosophicam quietè, & tranquillè agere possent. Cum tamen eum locum corporis noxium esse sanitati dicentes, mutare Platonem Medici juberent, & in Lycæum Scholam transferre, id se facturum negavit, ne in Atho (ubi longævi homines) quidem summitatem, vitæ producendæ caussa, se commigraturum dicens. Et sane febri Quartana ob loci ejus noxium aerem laborare cœpit, quæ XVIII. menses perduravit; tandem tamen sobrietate eam, & cura corporis vicit; integro magis, quàm quo usus antea fuisset, robore recuperato. Hactenus ille. De Ciceronis Academia illustris est Plinii locus lib. 31. cap. XI. *Cicero longè post Villam quamdam suam Academiæ nomine dignatus est, digna memoratu Villa est ab Averno lacu tendentibus imposita litori, celebrata porticu, ac nemore, quam & vocabat Marcus Cicero Academiam ab exemplo Athenarum: ibi compositis ejusdem nominis libris.* De Academiarum utilitate pro virili satis Franciscus Testa Montis Regalensis Pontifex, atque in hoc Siciliæ Regno Supremus, Generalis Inquisitor, Regiusque Consiliarius *in Solemn. Instaurat. Acad. Theol. Moral. & Sacr. Rit.* f. 4. *Porrò ex his Conventibus, & illud commodi accedit, quod unus studet pro omnibus, omnesq; tanto labore, ac tot vigiliis ab alio partam doctrinam nullo negotio lucrifaciunt, ac suam reddunt.* De nostra denique Medicorum Academia æquè, ac de ceteris, adi Clarissimum Mongitorium *in Bibl. Sicul.* Parisium *Ricerc. dell' Acad. Palerm.* f. 10., & alios. Novissimè in elaboratissima Dis-

te à Castro erectam fuisse, natalemque diem in magno Urbis nosocomio vidisse latebit neminem (*).

Heic loci de rebus anathomicis, non secus, ac de chirurgicis operationibus sedulò exercendis una omnium mens erat, ac solicitudo (*a*). Ad hunc

---

Dissertatione Dominicum Schiavo nostri ævi Scriptorem eximium *Saggi sopra la Storia Letteraria, e delle antich. Acad. f.* XXXIX. Sub prælo jacet in diem publicam lucem adspectura *Siciliæ Descriptio* æneis figuris illustrata Abbatis Archangeli Leanti Panhorm. Musis apprimè chari, opus diù expetitum, ubi *de Academiis Siciliæ cap. 2. fol.* 33. Nec missa volumus, quæ de nostra Regali Medicorum Academia satis operosè disseruit Siculæ Dynastiæ Scriptor eximius Franciscus Maria Emmanuele & Gaetani Marchio Villæ Albæ in elaboratissimo Opere omnique calculo absoluto *Siciliæ Nobilis*. Adi, si Jubet, Tomum primum primæ partis fol. 27.

(*a*) Vinc. Parisi *Ricerc. dell' Accadem. Palerm. loc. supra cit.*

(*) Liquet ex Proregis chirographo Ducis de lo Infantado ad illustrem Deputationem, & Rectores Nosocomii magni tunc temporis demisso, cujus seriem minimè piget adserre: *Considerando S. E. de quanto grave importancia es a la salud publica la erecion de una Academia de Anatomia, d'onde los Professores de la Medicina tengan continuado exercicio en la practica de sus observaciones, y que por no tener fundacion fixa, la que se exigio el año de 1649., y se extinguio brevemente con no-*

hunc propterea adsequendum scopum suffectus ex Primoribus Medicis lector fuit (is erat Balthassar Grassia sive Grassus, de quo paullò infrà plura), qui ad hasce facultates destinatus publicas lectiones cotidiè dictabat, singulisque hebdomadibus, præfixo scilicet Veneris die, publicas theses ab artis tyronibus propugnandas gnaviter exhibebat.

Interea Panhormitanus Senatus decenti *sostro*, ex publico ære persolvendo, Lectorem ad id muneris obeundum incitârat; atque medentibus auctoritatem in secandis illius Nosocomii cadaveribus ultrò indulserat. Mirùm profectò quale incrementum tunc temporis in medico negotio, quantosque profectus in diem augescentes Panhormus vidit, eo maximè, ubi leges accesserunt Academicæ sanctissimè ab illius ævi medicis observandæ (*). Utinam ab incepto non destitissent, majo-

---

notable detrimento del bien publico; ha resuelto S. E., que para la inalterable permanencia de esta Academia se la dè sito fixo en el de S. Lucia, que exta en el recinto de ese Hospital; cuyo lugar tiene S. E noticias, es muy adequado &c. Ex Offic. Spectab. Mag. Ration. Excell. Senat. hujus felic. & fidel. Urbis Panh. *in Volum. Cautelar. Patrim. ejusd. Urb. anno* 1700. *f.* 167.

(*) Romanorum, ac Græcorum morem imitando in instituendis Collegiis, atque Academiis: *Itaque universitatem a Majoribus nostris appellatam, hanc Scholam puto,*

jora sanè vidisset gloriosis ausibus emolumenta. Biennio vix expleto a tam nobili instituto fatis concessit Balthassar Grassus, sive Grassias, qui a lectoratus munere, & à medendi peritia ditior factus, postquam rectè noverat ille, non parùm ab exculto hocce studio profecisse, accepti beneficii memor annuum censum scutorum quinquaginta futuris rei medicæ Lectoribus, atque Academiæ tunc vagientis instaurationi testamento reliquit(*).

At

---

to, quod universa artium genera complecteretur, cuivis licet profiteri, in ea autem professione, a Rectore ipso leges quædam recitantur, quas se quisquam servaturum esse juret. Hinc Scholastici Jurati *vocantur, eorumque locus, nomina in tabulis, aut codice describuntur.* Johach. Perionius *de Roman. & Græc. Magistrat. apud Job. Godesch. Clausing. in Fascic. 3. Jur. Public.* lib. 1. f.220.

(*) Inter alia hujus instrumenti capitula legitur: *Item volo hæreditatis meæ sumptibus perpetuum in hospitali magno esse instituendum Anatomiæ, & Chirurgiæ Lectoratum, pro cujus munere suffectum volo in primum hujus muneris Lectorem Jacobum Vetranum Artium, & Medicinæ Doctorem, cui solvatur adsignatum salarium scutorum viginti quinque, quolibet anno solvendum, quousque Medicinæ laureâ decoratus fuerit Balthassar Resolminus meus ex sorore nepos, adaucto salario in summa scutorum quinquaginta annualium; Quo demortuo nuncupatos volo ejus filios, nepotes, pronepotes in infinitum, & in perpetuum, tantùm soluto salario scutorum viginti quinque. Tempus Lecturæ impendendum sit horæ unius lapsus, more studiorum majorum Philosophiæ, & Theologiæ, quæ tradun-*

At quis tandem fuerit rei exitus, qualemque fortunam apud posteros invenerit; sivè quod magis intererat, cujus Tabellionis instrumentis declarata Testatoris voluntas fuerit, nostra industria diù perquisitum, tandem expiscatum; prostat testamentum tabulis Vincentii Scloferii sexto Septembris anni 1623. celebratum (*).

Alumnæ illius Academiæ Hieroglyphicum vitis erat palmitibus ornata suis, apposito lemmate: *Ut floreat*. Volventibus deinde annis insperatò languescere cœpit, tandem evanescere, prorsusque emori, inani relicto Gymnasii loco, cujus ædes ad hunc usque diem marmoreo lapidis monumento spectatur (**). Ad

---

duntur in almo Patrum Societatis Jesu Collegio, interjectis ferialibus diebus, in quibus prædicta studia vacare, moris est.

(*) Exemplum aliud legimus in Vita Cornelii Castaldi Feltrensis, qui fato cessit 1537. de quadam ejus magna domo pro struendo studiorum Collegio relicta in Feltrensi regione ad tres alendos ephebos comparato, quorum duo juris Civilis, & Canonici studiis, alter Medicinæ operam navarent, quibus assignatæ erant fruges cum vino, ac nummis alimonia necessariis, cujus testamenti verba hæc sunt: *Sian messi per i miei Commessarij trè boni Zoveni Feltrini a studiar, dò in rason Civil, e Canonica, e un in le arte, e Medicine de tempo in tempo.* Thom. Joseph Farsetti *in ejus Vita* fol. 25.

(**) Ædes hisce studiis adsignata adhuc visitur ad lævum

Va-

Ad hujus deinde exemplar, cujus adhuc vestigia non in totum detrita erant, Regalis nostræ Academiæ imago, meliori penicillo efficta prodiit; stratoque priùs angulari lapide absolutissimi ædificii magnitudinem nacta caput extulit, & ceteris anteivit; primum lapidem aptioremque ædificii ordinem elapsi circiter seculi decimi septimi fines recolendæ memoriæ vir Presbyter Octavius Cattanus (*) Polyater, Anatomes Professor primusque

Valetudinarii latus adnexa, in Australi facie, apposito lapide cum hac inscriptione:

D. O. M.

PUBLICUM. CHIRURGIÆ. ET. ANATOMIÆ. IN. MAGNO. NOSOCOMIO. PANHORMITANO. ANTIQUITUS. JAM INSTITUTUM. GYMNASIUM. HIC. NOVISSIME. IN. MELIOREM. FORMAM ERECTUM. EST. DIE. XIII. APRILIS ANNO. A. PARTU. VIRGINIS MDCLXXII.

(*) Is primus fuit, qui totis animi viribus contendere visus, & novæ Academiæ ædificium, veluti è fundamentis erigere, eoque loco expetebat extructum, ubi olim S.Lu-

que nostræ Academiæ instaurator stravit, qui libellum supplicem dederat, ut huic jam penè demortuæ Excellentissimus Panhormitanus Senatus opportunas ferre suppetias dignaretur. Libelli series tria potissimum spectabat (a), nimirùm extruendas aptiores ædes, confirmandas veteris Aca-

---

S. Luciæ templum fuerat, Nosocomii moli planè contiguum. Cui exequendo voto Valetudinarii deputatio, Rectores, & Gubernator ex Proregis mandato Cattanum nuncuparunt ad cathedram, ut Lectoratûs munere fungeretur perpetuo, ibique publicas Anatomiæ, & Chirurgiæ lectiones ephebos, rei medicæ addictos, edoceret. Accensendum statuere salarium unciarum nostræ monetæ viginti, singulis annis ab ea summa solvendum, quod testamento cavit præmemoratus Balthassar Grassia. Verùm aliò tendebant Cattani vota, nimirùm ad novæ fabricæ structuram in Academia condenda: Qua de re statutum sibi salarium in ædificii sumptus gratiosè voluit impendendum, concepta studia paullatim ad metam perducta; Academicam molem, qua fieri poterat magnificentia decentiorem, aliquando dederunt; nec minores suppetias Academiæ incremento contulit Panhormitani Senatus liberalitas; quippè annua illa unciarum vigintiquatuor summa, quam fuerat Senatus jam pridem largitus, novo illi ædificio usque ad operis consummationem tota cessit, decusque addidit Academiæ amplitudini; Atque apposito Aquilæ stemmate illam Medici Senatus patronatui fecere devotam.

(a) *Ex Archiv. nostræ Cancell. sub die 7. August.* 1696.

Academiæ leges (*a*), & annuum censum unciarum viginti quatuor publicis Magistratùs tabulis suppeditandum, ut sumptui cederet, & Academiæ subsidio, quoniam jam antea largiti fuerant prisci Senatus Patres (*b*). Satisfecit tum hujus, tum medicorum votis annuens Magistratus, atque in libelli dorso providit: *Ut super Academiæ postulatis Regni Prorex consuleretur*; qui tunc temporis erat D. Petrus Emmanuel Colon y Portugallo Dux de Veraguas. Porrò delatis ad Proregem precibus decretum extemplo fluxit: *Ut Regia Caroli II. majestas tantùm quoad annuam canonis particulam certior fieret*, a cujus nutu, & liberalitate largitio pendebat (*).

In-

(*a*) *Ex eod. archiv. die* 14. *Jan.* 1649.
(*b*) *Ex eod. Archiv.* 19. *Novembr.* 1655.
(*) *Ex quo consequitur*, ait Cicero *de Legib.* lib. 2. cap. 3., *ut Principi ea omnia liceant circa Civium studia, quæ exigit salus publica, cujus illi custodiam Cives in prima Civitatis constitutione communi consensu, & suffragio detulerunt*. Fusiùs Johannes Gottlieb. Heinecius plurimis in locis, ubi *de Jure Principis circa studia* Tom. 2. Exerc. 31. fol. 150. *Hic verò ponimus jura Principum, quæ & jura majestatis vocantur fine Reipublicæ esse metienda. Hic finis non alius est, quàm interna, externaque securitas, in qua utraque consistit salus illa publica, quam supremam Rectoribus rerum publicarum legem esse oportere ipsa recti ratio exigit*. Et alibi idem Clarissimus

Interim Cattanus noviter institerat, ea omnia sperans adsequi posse, supplicatione habita ad supremum Regii Patrimonii Tribunal, quod & gratiosè concessum (*a*). Deerat Caroli II. Regis nutus, ut ratum, ac omni ævo inviolandum mane-

ne-

mus Auctor Heinec. ibid. fol. 158. §. 14. *Principi ea omnia circa Civium studia liceant, quæ salus publica exigit. Porrò consequitur, ut eidem jus sit Scholas, & Academias non modò instituendi, & salubribus legibus adtemperandi Reipublicæ saluti, sed easdem, si quid vitii cœperint, emendandi.* Pertinet ad regalia jura Academiarum erectio Philip. Knipschildus *in Tract. Polit. Hist. Jurid. de Jur. Regal. l.* 2. *c.* 4. *n.* 6. easque privilegiis, & immunitatibus muniendi potestas. L. *Unic. C. de Studiis Literar.* L. *Unic. C. de Professor.* L. 2. §. *post hanc maxime* 47. ff. *de Orig. Juris*. Petra *de Potest. Princip. c.* 13. *n.* 34. Rosenthel. *de Feud. c.* 5. *concl.* 2. *n.* 4. Vultej. *de Feud. c.* 5. *n.* 7. Bocelius *de Regal. c.* 2. *n.* 121. Zas. *de Feud. part.* 5. *n.* 14. Matthæus Stephanus *de Jurisdict. lib.* 2. *p.* 1. *c.* 1. *membr.* 2. *n.* 63. Clutenius *Syllog. rer. quotid.* 21. *liter. D. & E.* Besoldus *de Jur. Majest. sect.* 3. *c.* 8. *n.* 3. *f.* 185. Sixtinus *de Regal. lib.* 1. *c.* 2. *n.* 26. Addas, velim, *in Fasc. Jur. publ. de Jurib. Reserv. cap.* 11. *f.* 195., Hermannum Hermes, item huic scopo Martialis distichon *Lib.* 10. *Epigr.* 60. consonat:

Jura trium petiit a Cæsare Discipulorum
Assuetus semper Munna docere duos.

(*a*) *Ex Archiv. nostræ Cancell. die* 24. *Aprilis* 1700.

neret indultum; quod demum ab illius Regis munificentia fuit impetratum, demisso scilicet ab Hispaniis Regali (*a*) diplomate, quo omnium Medicorum vota tum ad Academiæ privilegia, cum ad annuum censum spectantia omninò explerentur (*). Ministrorum omnium calculo tandem obsignatum, executionique mandatum regale diploma, apud publicas Magistratus tabulas videre licet (*b*). Hactenus omnia ex Archivio nostræ Cancellariæ summatim excerpta, latinaque lingua à nobis integrè donata.

Interea Panhormitano Senatui ea omnia nobis luculenter largiri placuit, quorum desiderium tam altè Academicorum animis diu insederat; neque vel iis omissis, quæ loci illius elegantiam, & majestatem ornatissimè decere viderentur; nihilque re-

---

(*a*) *Matriti ex Regia Cancell. die* 16. *Septembris* 1700.

(*) *Antiqui moris hoc fuerat apud Cæsares, ac Reges nonnullis donare privilegiis novas, nascentesque Academias.* Christian. August. Heumannus in *Biblioth. Histor. Academ.* f. 29., apud quem plurima recensentur exempla; ubi præter alia Ferdinandus II. Romanorum Imperator Argentoratensem Academiam privilegiis insignivit.

(*b*) *In Panhorm. Senat. officio die* 7. *Novembris* 1700.

reliquum demùm deesse voluit, quod ultra pecuniæ reditum necessariis sumptibus jam pridem adsignatum honori, nomini, vigentisque Academiæ dignitati inservire cumulatiùs posset: nimirùm ea ipsa Senatûs insignia, quæ ipsius Magistratûs redolent majestatem, & decus, Aquilam utpote stemma (*) ante novi ædificii fores adfigendum; clavæ gerendæ privilegium (**) in indicendis Academiæ comitiis; atque

---

(*) *Aquila Romanorum hieroglyphicum inter signa militaria recepta, & sacrata omen fuit dominationis, & pluribus Principibus imperium portendit*. Pitiscus *in Lexic. Antiq. Roman. T.* 1. *f.* 138. A Romanis ad Panhormitanum Senatum derivata Aquila Panhormitana; Panhormitano enim Senatui concessa a Romana Republica, licet ex Fazello Phœnicem, an Aquilam dederint, incertum. Franc. Aprile *Cronol. di Sic. fol.* 400. Confer MSS. dialogos Vincentii Littaræ *de Aquila Panhormitana*, & Vincentium Auria *in Prærogativis de Prætore, & Aquila Panhormitana*.

(**) A fascibus apud Romanos in jurisdictionis tesseram clavæ origo repetenda est, inde apud eosdem Scipio Eburneus erat aquilam sustinens inter insignia Consularis potestatis; de quo Pitiscus: *Quo loco docemur, Scipionem illum cum fascibus Consulibus, cum cetera insignia dignitatis conferrent Imperatores, neminem largiri, & conferre potuisse præter Senatum Romanum. In Lexic. Antiq. Rom. Tom.* 3. *fol.* 352. Sed perperàm a fascibus: Confer Carolum du Fresne *in Glossario T.* 4. *fol.* 566. *Mazia, baculus officii, seu dignitatis in-*

que subsellii erigendi (*) potestatem Senatorum mo-

insigne. *Chronic. Parmens. ad ann.* 1302. *Apud* Murator. *Tom.* 9. *col.* 844. *Et videns ipse Dominus Maphæus* . . . . . *deposuit in dicto exercitu dominium Civitatis Mediolani*, & *baculum*, *sive Maziam sui Capitaneatus*. Idem innuit Muratorius *in Chronic. Modoet. Tom.* 12. *col.* 1095. *Divino judicio dominationis Maziam reddidit.* Unde ex du Fresne supra citato eruitur *Mazia*, *Clava*, Italis *Mazza*, *Mazerius*, *Mazziere*: quæ consonare videntur quàmbellè clavæ nostræ Senatoriæ. Sed cur *Matia* ex argenti metallo conflata, & quonam tempore, habeo incompertum. Id certum in Concilio Lugdunensi anno 1244. sub Innocentio IV. clavam, quæ Patres Concilii præibat, argenteam fuisse. Matthæus Paris. *in Concilio Lugdunens.* Clava igitur, seu *Mazia*, tum ille, qui clavam gerit, *Bedellus* dictus, sive *Mazerius* epitogio ex holoserico ornatus, pro dignitate in Academicorum comitiis, olim Medicis concessa a Senatu: *Sæpè enim insignia Magistratùs benemeritis tribuuntur*. Casaubon. *ad Sveton. lib.* 2.

(*) Subsellii erigendi potestas in Comitiis Academicis, Aquilæ stemma, & clavæ gerendæ facultas, omnia ex Senatûs privilegio nostrati Academiæ concessa; liquet *ex Magistratus tabulis die* 19. *Novembris anni* 1655. Eadem Regali diplomate rata a Carolo II. eo tempore Siciliam, & Hispanias moderante. *Ex Archiv. nostræ Cancellariæ die* 4. *Maji* 1700. Novissimè solemniter adprobata, & legibus aliis aucta ab invictissimo jam Siciliæ Rege Carolo III. Borbonio, nunc Hispaniarum Regna faustissimè gubernante, in vim *regalis diplomatis dati Neapoli die secunda Martii* 1742.

more (*). Satisfecit pleniùs hisce postulatis Senatus, quæque diù expetierant Academiæ Primates, ab hujus munificentia non inanibus votis na-

(*) Quæ prius apud priscos Romanos Curules Sellæ erant, sive Subsellia, aut Scamna (*sedebant enim in illis Prætores, Consules, & Ædiles, cum suppedaneo, aut multis gradibus*. Pitisc. *in Lexic. Rom. Antiquit. T.* 3. *V. Sella*) Romanorum morem gerendo deinde Panhormitanus Senatus in ejus Magistratum invexit; obsignatum postea legimus hocce privilegium, construendi nempè subsellii humeralis indumento parati, ex purpura distincta tesseris gentilitiis Regiæ Majestatis, a Ferdinando Siciliæ Rege Castellæ, & Aragonum, datum Panhormi die 15. Januarii 1489., cujus summam non gravabor adferre vernaculo illius ævi idiomate exaratam. *Pri li scandali, ed inconvenienti, ki soprastanno per causa di lu sediri predictu, resultavano, deliberastivo ordinari uno banco, & otto seggi ad opus di lu magnifico Capitaneo, & di Vui Preturi, e Jurati, & ad decorem, & ornamentum ipsius Magistratus, haviti fatto fari uno panno di scarlato armigiato cum li armi di la Maestà del Re nostro Signore in lo menzo, & in un capo di lo dicto panno di questa felichi Chitati, & in lu altru li armi di quistu Regno cum certi fogli, & altri lavuri pri mictirilu in li spalli, seù muru di lo dicto banco. Pertanto considerando Nui tucto czò tendiri in Regio servizio, honuri, e riputationi di quista felichi Republica, cum tuctu, ki hajati potuto liberè, & impunè fari, nihilominùs ad uberiorem cautelam ad vostra supplicationi laudamo, acceptamo, & rathifichiamo tanto lu fari li dicti seggi, como lo panno, como cosa digna di commendationi &c. Julianus Centelles Dominus Præ-*

si-

nacti fuere. Nostris quoque temporibus concessum vidimus humeralis ornamentum, quo Magistratûs subsellia contegi solent, ex holoserico contextum, phrygioque auri, & argenti opere, acu decoratum (*). Humerale enim ab eo primo temporis vestigio, quo hæc gratiosè retulerunt accepta Prisci Academiæ Patres, tantùm purpureo panno tegebatur, haud impari modo ei, quo Prisci nostri Senatus Patres uti consueverant.

Carolo denato eadem largitus est privilegia, omniumque votis satisfecit Philippus V., qui in Regni jura successit, ut liquet ex epistola regia ad Ministros Regii Patrimonii inscripta, cujus exemplar hispanicè exaratum haud gravabimur, hìc inserere ad uberiorem historiæ accessionem (**):

Quæ

---

sidens mandavit mihi Stephano Marci. Hactenus apud Michaelem de Vio *in Privileg. Urbis Panhorm. f.* 402.

(*) Habito ad Senatum nostrorum stimulis pressum supplici libello, in cujus dorso idem Senatus rescripto provìdit: *Die* 13. *Maji* 3. *Ind.* 1755. *Ex parte Excellentissimi Senatus Sede plena fuit provisum stante relatione facta per Spectab. Syndacum; Possint juxta petita, & eodem modo, & forma, prout fuit concessum Rectoribus Vener. Hospitalis magni, & novi hujus Urbis.*

D. Carolus Filippone M. N.

(**) *PHILIPPUS V.* Dei *gratia Hispaniarum, & Siciliæ Rex &c. Magnificos fieles Maestros Racionales, y amados*

Quæ omnia non leve pondus uberiori Academiæ nostræ fulcimento præstitere.

Ast

---

dos nuestros Presidentes de mi Real Patrimon. del Reyno de Sicilia. En vista de vuestra carta de 3. Junio la erecion de una Academia de Anatomia, he mandando dar al Virrey la orden, que sigue. El Rey. Ill. Duque de Veragua Primo &c. Aviendome dado quenta el Tribunal de mi Real Patrimonio en carta de 3. Junio, de que por Villete de 26. de Mayo ordinaste, y si erigiesse en el Hospidal grande de Palermo una Academia de Anatomia, donde los Professores de la Medicina tengan continuado exercicio en la prattica de sus observaciones, y que es de tanta importancia a la salud publica, y que el Senado vuelva a consegnarle la congrua de veynte y quatro onzas a l' año en el 1655. se la situò, que por non aver tenido fundacion fixa, se estinguio en breve tiempo con notabil detrimento del bien publico, he resuelto approvarlo. Però con la circumstancia, de que se resultare en prejuicio de terzero esta assignacion de veynte y quatro onzas, me lo rappresenteis, informandome de lo que en tal caso se podrà executar, para que subsista la providencia dada sin tocaren este inconveniente. De Madrid. Ex Registro Privil. Exc. Sen. H. U. f. 527.

YO EL REY.

Romeo Secret. del Consejo.

De que he quendo preveniras para que en su intelligencia coopereis por vuestro parte (como os lo encargo, y mando) a fin de que se logre el establecimento, y permanencia de

una

Aſt nec ab operoſo lectoratûs munere tum in Anatomicis, cum in Chirurgicis ſtudiis Cattanum novi aſtruendi ædificii diſtinebant curæ, atque indefeſſæ ſollicitudines; aliò quippè illius tendebant potiora vota, ſcilicèt ut novis in diem obſervationibus alumnorum animos imbueret, quas ægrorum in Noſocomio confluxus quotidiè ſubminiſtrarat, additis non infrequenter, prout occaſio poſtulaſſet, cadaverum ſectionibus; majoreſque ſanè retuliſſet in edocendis juvenibus fructus, niſi mors improba virum jam ſenio confectum è vivis, maximo rei medicæ detrimento, ſuſtuliſſet (*). Poſt aliquos deinde ab ejus morte an-

---

una materia, para todos de tanta acceptacion, y conveniencia. De Madrid.

YO EL REY.

Vid. Guerrero Reg., Vid. Rubinus Reg., Vid. Araciel Reg.

Romeo Secret.

(*) Venerandi Senis occaſus incidit in diem 13. Januarii anni 1725. ſuæ ætatis anno ſeptuageſimo ſecundo. In cujus funere ſeni tam emerito in grati animi monumentum ſtatuit parentare mœrens Panhormitana Medicorum Academia, cujus ædificii locus lugubri, pulloque adparatu indutus fundatori ſuo triſte hoc officii genus præſtitit. Ejus effigies vivis coloribus expreſſa in-

 in-

annos, nescio quo fato, sive ob diminutos, quos præmemoratus Grassias testamento caverat, reditus, sivè aliam ob causam, quam hariolari non lubet; antequàm tàm nobile hoc lectoratûs institutum fortè fortuna periclitari, aut labi, aut intermitti potuisset, oculata Panhormitani Senatûs sedulitas, exsuscitato veluti torpentium juvenum spiritu, providè occurrere visa est, eòque prospexerat, ut ab incepto illarum exercitationum studio non desisterent molles in otio juveniles animi, & ceù ab excusso somno vigiles continuò addiscerent perutile hoc medicinæ genus. Porrò parùm abfuit, quin in hujus præsentis seculi anno fermè 44. conscripti Senatûs Patres ad illorum studiorum lectoratûs subsellia chirurgum eveherent omnium calculo adprobatum D. Salvatorem de Pasqua-

---

interiori academicæ aulæ facie integra visitur parieti adfixa, addito hoc elogio: *Reverendus Sacerdos Art. & Medic. Doct. D. Octavius Cattanus ex Physices, Chyrurgices, Anatomes, earumdemque lectoratus excellentia meritò Archiatros creditus, quatuor Proregum, duorum generalium Militiæ Ducum, plurimorum Regni Dynastarum, magni, ac novi hujus Urbis Civium Nosocomii, nec non Militum sub titulo S. Jacobi primus, & ordinarius Medicus, quater Panhormi Prothomedicus, Medicorum Academiæ Auctor, Rector, Promotor, Institutor, Instaurator, tandem Deo charus, ac hominibus obiit* 13. *Januarii* 1725. *ætatis verò suæ* 72.

quali, qui ſingulis fermè diebus lectiones tum anatomicas, tum chirurgicas gnaviter dictaſſet decenti conſtituto ſalario; alterius lectoris acceſſione facta, qui Matheſeos elementa, ceù phyſicæ Medicinæ ſcientiæ apprimè neceſſaria ſtatis diebus edoceret. Is erat D. Nicolaus Cento Panhormitanus.

Interea ab eodem Senatu anno 1757. ad ſupremum Chirurgiæ munus in magno, ac novo hujus Urbis Noſocomio, idem, quem modò innuimus, A. & M. D. D. Salvator de Paſquali meritò arceſſitur, eidemque novo Senatus reſcripto (*) lectoratûs munus committitur, ut tirones, quos & Noſocomii juvenes vocamus, de rebus anatomicis æquè, ac de chirurgicis præfixis diebus ſedulò inſtruat; Eodem fermè anno, quo primùm Senatus idem in lectorem conſultiùs elegerat pro Phyſico-Anatomico-Medicis inſtitutionibus gnavi-

(*) *Die decimo octavo Januarii 1758. Ex parte Excellentiſſimi Senatus Panhormitani Sede plena fuit proviſum, quod ſtante relatione interclusa facta per Hoſpitalarium Vener. Hoſpitalis magni, & novi H. V. exequatur juxta petita, & expediatur adſentus quolibet anno in perſonam D. Salvatoris de Paſquale Chirurgi Majoris dicti Vener. Hoſpitalis, & hoc cum omnibus obligationibus in dicta conſultatione contentis.*

D. Carolus Filippone M. N.

viter legendis A. & M. D. D. Balthassarem Fagiani primatem ejusdem Nosocomii Medicum. Utrique lectori præstitutum honorarium à Rectoribus, ex Senatus jussu, persolvendum ejus magni valetudinarii, atque illiusmet Gymnasii locus constitutus, qui antiquitùs, ut supra innuimus, ad hoc opus erectus fuerat, nempe sub arcu ad lævum Nosocomii latus, ac marmorea tabella signatus.

Verum grande aliquid feliciori omine moliebantur genethliaci, ut ita dicam, sui schematis sidera, quod & in infantili Academiæ nostræ ætate faustè auspicatum vidimus, atque ad umbilicum plenius absolutum. Qui deerat tandem addendus calculus, accessit, ut solemniora fierent medicæ facultatis jura, omni ævo mansura; Nimirùm ubi novissimè ab invictissimo Rege Carolo Borbonio, cui illud semper in animo fuerat: *Populi salus suprema lex esto*; & quem Herculem *Musagetem*, idest Musarum ductorem salutarat Panhormus, scilicet, quum ea omnia, quæ ad populorum suorum salutem pertinere animadverteret, ad suam curam revocavit, de universa posteritate præclarè meriturus; viginti septem regiis sanctionibus sanctissimè pensitatis adeò instaurata, adeò oblinita fuit Academiæ nostræ facies, ut nil ultra superesse videatur, in quo plus aut gloriæ, aut dignitatis expeti deinceps possit, aut à seris

ne-

nepotibus extorqueri (*). Regalis Diplomatis exemplum, quo clementissimus Rex munificentissimè dignatus est Academiam nostram majoribus prærogativis locupletare, in historiæ hujus calcem ad æternum gloriæ monumentum inserendum duximus. Neque nobis ingratitudinis notam inuri patimur, ut silentio prætereamus, totum hocce magni momenti facinus deberi illius temporis Panhormitano Senatui, cujus postulatis clementer annuit Regis nutus, atque ut in æternum staret tàm gravis momenti negotium, è lydio marmore lapidem aureis literis cælatum adfigi

---

(*) *Ad priscam usque Rogerii I. utriusque Siciliæ Regis tempestatem acceptas referemus Academicarum Legum Sanctiones, in quarum decima octava cavetur, ne quis medicinam exerceat, nisi prius a Magistratibus, & Judicibus probatus, hoc enim prospectum est*, ait Rex, *ne in Regno nostro subjecti periclitentur ex imperitia Medicorum.* Hermann. Conring. *Differt.* 1. *fol.* 60. *n.* 54. Morem hunc ad antiqua usque tempora refert celeberrimus Mendo. *De Jure Academ. Quæst.* 8. *f.* 54. *n.*246. *Reges Academiis judices designarunt totis seculis retroactis, & nunc temporis designant; leges, & statuta præterea eis condiderunt, quibus regerentur. Nec non liberè valent leges speciales condere, quæ sint contrariæ legibus in corpore juris insertis. Idem fol.* 120. *n.* 541.

gi (*) curavit in Senatoriæ aulæ cimeliis, illorum Pa-

(*) D. O. M.

CAROLO HISPANIARUM INFANTE
SICILIÆ, NEAPOLIS, ET HIERUSALEM REGE.
D. BARTHOLOMÆO CORSINI
PRINCIPE SISMANI, EX MAGNATIBUS HISPANIARUM
PRIMÆ CLASSIS ETC. PROREGE.

Post vigilem Annonæ diligentiam, post Anatomicæ, Physicæque Academiæ Leges, dudum intermissas, sedulò nunc revocatas, Civiliumque Officiorum normam ad amussim emendatam, post coacervatas Frumentariæ Administrationis pecunias, priscis Creditoribus persolutas, omne ad publicam utilitatem suscepto, ne quid fortè Patriæ restaurationi, atque nitori deficeret, hasce Senatorias Aulas, procœtonesque, pictis laquearibus, tessellatisque pavimentis inornare decrevit, æquè & curavit

EXCELLENTISSIMUS SENATUS
EX MAGNATIBUS HISPANIARUM
D. JOHANNE SAN MARTINO, RAMONDETTO
DUCE MONTIS ALBI ETC. PRÆTORE.
D. LAURENTIO GALLEGO QUARTUM.
D. IGNATIO MAURIGI ITERUM.
D. SEBASTIANO GIUSINO
D. JOSEPHO CASTELLO
D. IGNATIO GARAJO
D. RAPHAELE VANNI SENATORIBUS.
ANNO MDCCXLII.

Patrum beneficentia, nulla ætate obliterandum; neque minus deberi inclyto viro Francisco Pignocco (*) nunc Presbytero, & supremi Archiatri meritissimo Consultori, qui totas animi vires, lacertosque omnes intendit, ut sartæ tectæque leges a Serenissimo Rege CAROLO, velut ab optimo Principe Comite, & Duce Musarum, optimarumque artium statore aliquando fluerent (**), atque in perenne Academiæ decus solidè firmarentur; mulctis, pœnisque adversùs contumaces inflictis. Nimirùm eæmet fuere priscæ Academiæ no-

(*) Cujus opera, & dexteritate jam ad illum, eousque inani labore quæsitum, finem perventum est, a nostratum votis tandiù expectatum; Delata enim Neapolim ad Regem Carolum condendarum Academiæ legum necessitate, earumque Regia auctoritate firmandarum, felicissimo ausu vigintiseptem illas Academicas Sanctiones a Serenissimi Principis munificentia vir ille impetravit, quarum ut notitiam panderet, disertissimam paullo post Orationem in nostro Academicorum conventu habuit, typis inde editam, & hoc titulo inscriptam: *In edicendis Panhormitanæ Academiæ Medicorum legibus Regia auctoritate firmatis Oratio Doct. Francisci Pignocco, ejusdem Academiæ Principis, & Urbis Protomedici. Panhormi typis Francisci Valenza* 1748.

(**) *Cujus ad jura, & officium, vel id maximè pertinet, ut quævis honestarum artium studia sub ejus cura, & patrocinio floreant, ex iisque Respublica fructum capiat multò uberiorem*. Heinecius *f.* 137. §. 3.

nostræ leges, quibus veteres ab illa tunc in cunis adhuc vagiente Medici obligatos priscos illos Epheborum conventus voluere (*) addito Panhormitani Senatus patronatu, cujus clientelæ se obsequiosè devoverant (**).

Neque id prætereundum, ne quid gloriæ nostræ huic Philiatrorum Academiæ detrahatur, celebriores Academias, quæ in transalpinis regionibus, inque Italia ferè tota augustissima cultorum mentione hodienùm progerminant, ut in oratione nostra jam pridem innuimus, si paullò intimius in eorum incunabula flectatur obtutus, omnes, paucas si excipias, Regali hac Academia nostra adolescentiores esse, seròque nimis, saltem in unius sæ-

(*) *Hinc fluit, si Academia habet jurisdictionem potest statuta condere, nam in jurisdictione involvitur facultas, & auctoritas statuta condendi*. Barthol. *in leg. omnes Popul. ff. de Justit. & Jure*. Idipsum actum legimus in Academia Gissena, ut clarè innuit Michael Bernardus Valentinus *in Program. Acad. Decur. 3. ad prælect. Leg. fol. 251. Hinc & Academiæ tamquam vera rerum publicarum, imo Regnorum seminaria certis semper legibus innituntur, quibus & docentes, & discentes obligati sunt*.

(**) *Athenis lege Sophoclis cautum erat, ut neque Scholæ erigerentur, nec Philosophus quisquam præesset disciplinis absque auctoritate Senatus*. Mendo *lib. 1. de Jure Acad. f. 2. n. 5.*

sæculi ergastulis satas, invectas, adultasque, ut planè crediderim, neque inani judicio, ad nostræ hujus exemplar delata tum primùm novitate conflatas. Quotquot enim a retroacti sæculi medietate irrepserunt Academiæ, atque tam nobile institutum, quo nihil præstantius optari possit (absit verbo jactantia) post Panhormitanam nostram omnes fœcundiori frutice processerunt. Post nostram (*1) licèt cultiori minerva, atque auspicatissimo sidere virescere cœpit Germanica (*2), Londinensis (*3), Bononiensis (*4), Parisina (*5), Parisina altera novissima (*6), Haphniensis

(*1) Panhormitana Medicorum Academia erecta anno 1621., aucta anno 1649., instaurata anno 1696., Regioque Sanctionum Diplomate obfirmata anno 1742.

(*2) Academia Leopoldina sive Naturæ Curiosorum Germaniæ anno 1652. *Histoir. de l'Acad. de Scienc., & des arts etabli a Boulogne par M. de Lintiers.*

(*3) Societas Regia Londinensis anno 1665. *Ibid.*

(*4) Bononiensis Philosophica anno 1667. Artium, & Scientiarum anno 1712. sub Clemente XI. *Ibid.*

(*5) Academia Scientiarum Parisina sub Ludovico XIV. anno 1666. ex Vallemont *in Histor. Regn. Aloys. XIV. T. 2. fol.* 959. A Colberto instantibus Duglas, & Bourzais.

(*6) Academia Parisina altera, Societas Artium dicta sub tutamine Comitis de Clermont nuperrimè instituta. *Saggi, ed Osserv. di Medicin. della Società di Edimburgo T. 1. fol.* 345.

sis (*1), Neapolitana (*2), Romana (*3), Veronensis (*4), Brixiana (*5), Senensis (*6), Prussiana (*7), Petropolitana (*8), Edimburgensis (*9), Upsaliensis in Svecia (*10), & novissimè erigendæ Stuttgardia apud Germanos, & Ungarica (*11). Neç desunt Academicorum nostrorum fastus, eorum videlicet, quorum imagines (*12) senio,

(*1) Academia Haphniensis Daniæ anno 1671. *Ibid.*

(*2) Academia Lustratorum Neapolitana anno 1679. *Ibid.*

(*3) Academia Physico - Mathemat. Roman. anno 1686. Medicorum sub Innocentio XI. anno 1681. Carol. Barthol. Piazza *in in Academograph. Tr.* 12. *P.* 2 *f.*1.

(*4) Veronensis Academia Aletophilor. anno 1686. De cujus emblemate, nomine, atque instituto confer Franciscum Bianchinum in particulari Dissertatione.

(*5) Academia Brixiana Philosoticor. anno 1687. *Idem de* Piazza, *qui supra*, *ibid.*

(*6) Academia Physico-Critica Senensis anno 1691. *Idem ibid.*

(*7) Societas Regia Berolinensis Prussiæ anno 1710. Hyac. Gimma *in Ital. Liter. T.* 2. *f.*479.

(*8) Academia Petropolitana anno 1725. *Idem ibid.*

(*9) Edimburgensis Academia paucis abhinc annis. *Saggi, ed Osserv. di Medic. della Soc. di Edimburg. T.* 1. *f.*346.

(*10) Upsaliensis Academia noviter instituta. *Ibidem.*

(*11) Stuttgardiensis, & Ungarica Academia novissimè instituendæ. *Ibidem.*

(*12) *Omninò fingendarum similitudinum ratio idcircò ab omnibus inventa est, ut posset eorum memoria retineri, qui vel morte subtracti, vel absentia fuerunt separati.*

La-

nio, virtute, fama ſpectabiles in ornatis aulæ parietibus poſterorum admirationem cum laude, tum dignitate conjunctam ad ſe trahunt; qui ab ipſa ineunte Academiæ ætate, arduo, ac cum labore ad virtutem detecto itinere, clinicam medicinæ artem haud inglorii illuſtrarunt, quorum numero ii accenſendi, quibus aut ditior cenſus, aut minus noverca fortuna ingentes theſauros ab arte medica comparatos coacervavit. Accedit & eorum memoria, quorum inclyta nomina, ſcientia, literis, partiſque operibus clariora in Academiæ noſtræ procœtone immortale chronicon excipit, à nobis elaboratum, & publici juris factum (*), illudque in loci illius aula grata mortalium apotheoſi confixum.

Demum quidquid hactenus in evulganda hac Aca-

Lactant. *lib.* 2. *c.* 2. *Doctorum imagines ponebantur in Bibliothecis tum publicis, tum privatis*. Sveton. *in Tiber. c.* 70. *n.* 5. *Scripta eorum, & imagines publicis Bibliothecis inter veteres, & præcipuos auctores dedicavit.* Sic & Cicero *Attic.* 4. 9. *Literis ſuſtentor, & recreor, maloque in illa tua ſedecula, quam habes ſub imagine Ariſtotelis ſedere, quàm in aliorum ſella curuli*.

(*) Cujus titulus *de Viris illuſtribus Panhormitanis, qui literis, & publicis monumentis præſtitere. Typis Petri Bentivenga Panhormi anno* 1748.

Academiæ historia laboris insumpsimus, nos lubenter suscepisse fatemur in eum finem comparatum, ut aliquod accedat Academiæ nostræ decoris, & gloriæ, nihilque deesse videatur, quo minus ea in illarum censum adnumerari queat, majestate, excellentia, famaque præstantium. Accesserunt moderatorum nostrorum jussa, quæ magni fecimus, satisque nobis erit tantillum gratiæ, & favoris procurasse, si eorum votis satisfecerimus, illamque viam, rationemque tenuerimus in hac historia conscribenda, quam veritas, & non fucus è temporis vetustate paravit in lucem enixura. Neque me in historicorum numerum recenseri velit nemo, ratus de eorum me esse censu, quos gregarios vocant, quorum quoque aliquis usus est, etenim, ut rectè ait Romanus ille civis, & orator (a): *Neque, si Gubernatorum in navi regenda præcipuum munus est, non ii quoque utiles sunt, quorum in sentina exhaurienda omnis consumitur labor*, eo vel maximè quòd cordatorum Academicorum mens, quorum quot vota, tot nobis adaucta calcaria, in id potissimum contendebat, historiolæ alicujus laborem de nostra capessere oportere, quod non leve adderet Siculorum

Aca-

(a) Marc. Anton. Muret. *Orat*. 4. *fol*. 120.

Academiis tum nominis, tum claritatis momentum, & pondus; Quorum ipſe voluntati (*), infirmarum mei ingenii virium gnarus, gravatè acquieviſſem, niſi me, ut morem gererem, preſsè coegiſſent. Maximum igitur me pretium operæ facturum duxi, ſi eorum poſtulationibus inhærerem; ut poſteriori ævo pateat, quanti faciamus noſtram erga illos neceſſitudinem, noſtrumque in obſequendi promptitudine haud impar officium.

(*) *Corrumpitur, atque diſſolvitur imperantis officium, ſi quis ad id quod facere juſſus eſt, non obſequio debito reſpondet.* Aul. Gellius *lib.* 1.



REGIUM

LEGUM ACADEMICARUM

DIPLOMA

Pro Regali Panhormitana Medicorum Academia.



NOS CAROLUS (Dei gratiâ) Utriuſq; Siciliæ, & Hieruſalem Rex, Hiſpaniarum Infans, Dux Parmæ, Placentiæ, & Caſtri, Magnus Hetruriæ Princeps Hæreditarius &c.

QUi conſtitutis legibus, privilegiis, & munificentiâ noſtrâ favimus, ſemperque favebimus ſtudiis literarum, & artibus Reipublicæ utilibus, medendi artem, quæ vitam hominum ſervat, adeoque aliis omnibus humanis artibus utilitate antecellit, juvandam

dam pariter, augendam, ornandam præ cæteris nobis esse, censemus. Quamobrem libenter excepimus preces, quibus Senatus Panormitanorum a nobis petiit leges quasdam confirmari, quibus medendi artem in ea Urbe stabiliendam, & ad salutem, & commodum civium Panormitanorum aptiùs traducendam, idem Senatus arbitratus est. Itaque leges illas accuratè perpendimus, & confirmatione nostra dignas invenimus, adeoque Regali hoc nostro Diplomate eas comprehendi volumus ad hunc modum.

I. Nostræ Academiæ Patronus Senatus Excellentissimus pro more asciscitor: sub ejus auspiciis Academiæ incrementum promovetor: ejusdemque Senatûs auctoritate, ac præsidio Academiæ jura in præsenti discrimine vindicantor.

II. Penès Principem summa potestas esto: Principis, atque ejus lateri Assidentium octo, qui a consiliis, ejusque, qui a secretis erit, suffragio, negotium omne decernitor.

III. Ex Academicorum cœtu Princeps rebus gerendis, & procurandis in Comitiis eligitor, ævitatem annali lege servanto. Prima Principi sedes adhibetor. In rebus Academicis ejus votum duplex esto, ejusque prudentiæ, quod e re universi cœtus fuerit, committitor.

IV. Ultimo sui regiminis mense pro novi Principis electione Comitia convocantor. Principi, Assidentibus, Consiliariis, & Cancellario

tres

tres Academicos Candidatos nominandi facultas esto. Dehinc Academicorum suffragia secreta sunto. Ex majori numero Principis electio definitor: hujusmodi secreta suffragia coram Cancellario, & quatuor laureatis Academicis junioribus scribitor. Ex solis laureatis Academicis suffragia conflator. Eodem modo, atque die, quo Princeps, Assidentes eliguntor.

V. Non ab universo Academicorum cœtu, sed a Principe Cancellarius, quatuor Directores, quatuor Deputati, & quinque Consiliarii eliguntor, cum tres alii, Princeps, & Assidentes sint, quorum munus Principis muneri coævum esto.

VI. Academiæ Magistratus non ulteriùs prorogator, eamque legem antiquari, aut remitti numquam liceto, præter Consiliarios, Directores, & Deputatos, quorum potestatem prorogari fas esto.

VII. Cancellarii munus esto asservandi Tabulas legum, Academicorum tum laureatorum, tum approbatorum Catalogum, Dissertationes, omneque id, quod ad Academiæ Tabularium spectat; suum erit pro concione argumentum futuræ Dissertationis indicere, & disserturo Academico diem dicere, cui, si fortè aberit, unus ex Academicis pro subsequenti Dissertatione succenturiator. Acta Academica Cancellarii nomine in calce signantor.

VIII.

VIII. Directorum munus esto, Principem, atque Assidentes ad sublimiora subsellia, differentem ad Cathedram ducendi, pro uniuscujusque dignitate sedes, approbatis Academicis scamna comparare committitor.

IX. Exacto anno Procurator successori expensarum ratio redditor, atque penes Principem eas computandi, atque approbandi facultas esto, ut imposito sibi muneri respondeat.

X. Deputatorum munus esto res Academicas intenta acie tuendi, atque legum observantiæ studendi.

XI. Dissertationes recitandas Principis censioni subjicito, vel alterius Consiliarii ab eodem designandi, cujus subscriptione firmantor, atque sic approbatæ pro concione recitantor; dein eas Cancellarii nomine in Academiæ Archivio conservator; Consiliarii bonæ mentis, & a præjudiciis liberi eliguntor; Dissertationes corrigundi, & a nævis expurgandi potestas esto. Academico censuris onerato Principem appellare fas esto.

XII. Jovis dies alternis hebdomadis matutinis horis Comitiis Academicis regulariter indictus esto; at si opus erit jussu Principis congressus cæteris diebus, quibus aut gravior morbus epidemicus, aut urgens pro re nata negotium exposcet, indicitor.

XIII. Cuicumque Academico laureato, aut

approbato Physico, aut Chirurgo lex esto, Academiæ interesse, Principi, quæcumque in rem imperaverit, non deesse; Dissertationes Principis jussu ex Cathedra laureati, approbati ex inferiori subsellio recitent, quibus, qui decies per annum, vel segnitèr, vel dolo malo defuerit, quinquaginta aureorum solutioni mulctator, Regii Fisci utilitati, atque Academiæ incremento applicandorum, præter cæteras pœnas, quæ penes Judicis arbitrium sunto.

XIV. Ab hac lege seniores Academici, qui per triginta annos inter Academicos meruerint, excipiuntor; ab extraordinariis tamen Comitiis pro morbis difficilioribus examinandis, minimè excusantor.

XV. Habendis hisce Dissertationibus solidiorem praxim morborum, præcipuè popularium, Physicam experimentalem, Pharmaceuticen, Chemiam, Botanicam, atque Anatomen studium complectitor: in hisce scientiis solidè exercentor, atque de inanibus, & spinosis quæstionibus scholarum more ne contenduntor.

XVI. Exercitationes ordinariæ de superiùs recensitis argumentis alternæ sunto. Panegyres Senatus Excellentissimi, orationes funebres in obitu illustrium Academicorum extra Ordinem recitantor.

XVII. Dissertationes latino idiomate componuntor, earum argumenta utilia sunto, ab ina-

ni-

nibus, & declamatoriis, aut criticis, aut sociorum nomini detrahentibus abstinetor; duabus hebdomadis antequam habeantur Principis, aut eo annuente Consiliarii censuræ subjiciuntor.

XVIII. Universi medicinæ Professores, tum laureati, quam approbati inter Academicorum album cooptantor; solidioribus quippe instructi disciplinis, atque in meliorem frugem informati Regiæ Majestatis obsequio, atque saluti civium consulere meliùs possint, quibus si fortasse defecerint, pœnis decimâ tertiâ lege constitutis, subjiciuntor.

XIX. Principis, Assidentium, Consiliariorum, atque Academiæ Cancellarii injussu ne quidquam editor.

XX. Cœtui Academico cooptandos, Principi oblatis per libellum precibus proponere jus esto. Dissertatio elucubranda quamprimum iisdem imponitor: absque Assidentium, Consiliariorum, atque Cancellarii suffragiis nemo ullus asciscitor.

XXI. Quoniam hac in Urbe Civium quam plurimi quibusdam, quas vulgo dicunt, Unionibus, ab Urbe ferè condita sint adscripti, cum in finem, ut ab Medicorum, tum Physicorum, tum Chirurgorum honorariis solvendis quodammodo subleventur, inter quas recenseri debent Uniones rei domesticæ curatorum, argentei vasarii custodum, Pedissequorum, Rhedariorum, Coquo-

 rum,

rum, Cupedinariorum, Laniorum, Musicorum, Piscatorum, Portitorum, Infectorum, Mensorum, Pellionum, Gentis Longobardæ, & Aviorum, quarum exemplo id effectum est incommodi, ut novæ in dies quamplurimæ succrescerent Uniones, quæ cum Medicorum operam adscriptis Civibus polliceantur, ita in ingentem millenorum numerum excrevere adscripti, ut iisdem inserviendis satis esse Medici minimè possint; Civium eapropter vitam impunè mercari cernimus, & infirmos plerumque, nec supremis religionibus expiatos, miserrimè mortem occumbere comploramus. Tantis igitur obviam ituri malis, cuicumque Medico confertissimis hisce Unionibus, vel cæteris operibus sub alio titulo nuncupatis, inservire, præter superiùs recensitas veteri consuetudine obfirmatas vetandum esse censemus: & si qui fortasse medicorum in præsenti hujusmodi Unionibus operam suam conferat, munere, nullâ interpositâ morâ, se abdicato, mulctis, pœnisque, decima tertia lege impositis, si quis sit refractarius, subjicitor.

XXII. Sed reipublicæ utilitati, atque Pauperum commodo ne quid detrahitor. Principis eapropter intersit octo Medicos pro curandis pauperibus designare, sed de illorum inopia priùs per Parochi testimonium constito, præter alios a Pietatis Monte de more præscriptos, qui si pauperum commodo deerint, Academiæ, Principis,

aut

aut Senatus Excellentissimi auctoritati, lege eosdem agere committitor.

XXIII. Si quæ inter Academicos exorta fuerit contentio, eam dirimendi penes Principem, Assidentes, Consiliarios, & Cancellarium auctoritas esto.

XXIV. Si Princeps, Assidentes, Consiliarii, atque Cancellarius consenserint justis de causis lege quandoque agitor; Academici, qui eorum dignitati, atque famæ, vel publicæ incolumitati minùs prospicient, exauctorantor.

XXV. Jura, Immunitates, Privilegia Academiæ a Senatu Excellentissimo anno 1653. impertita, atque a Caroli II. munificentia anno 1700. confirmata, in æternum sarta tecta custodiuntor.

XXVI. Hujusmodi tandem sancitæ leges observandæ semper decernuntor, quæ si per ætatem in desuetudinem abierint, earum auctoritati nequidquam abrogator. Divinus etenim cultus, debitum Principi obsequium, salus publica, scientiarum incrementum, nostræ Academiæ suprema lex esto.

XXVII. Si quid in his legibus obscurum, aut aliquid iisdem minimè comprehensum emerserit, Principi, Assidentibus, Consiliariis, atque Cancellario interpretandi, supplendique jus esto.

Comprehensas itaque hoc nostro Diplomate le-

leges ratas habemus, probamus, confirmamus; proque lege nostra recipi illas, & custodiri quocumque tempore jubemus. Dat. Neapoli die secunda Martii millesimo septingentesimo quadragesimo secundo.

CAROLUS.

BERNARDUS TANUSIUS.

Registrada en el lib. 1. *de gracias de fol.* 118. *a fol.* 123.

V. M. Illustri Senatu Panormitano rogante artis Medicinæ Doctoribus Civitatis Panormi legum ab iis conditarum confirmatione concedere dignatur.